



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

IV. Capellani victum & vestitum tantum habeant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

deprecamur, atque pastoralis auctoritate iubemus, vt quotidie, sicuti fratri in vicibus dabatur & debetur, ita quod est necessarium sustentationi huius vitæ, in cibo & potu tantum, cuidam pauperi donec ad quadagesimum diem impendatur. Omnes enim alias oblationes, quas in morte fratrum, & in paschali solennitate, ceterisque solennitatibus, Domino pauperum commilitonum Christi spontanea paupertas indiscrete reddere consueuerat, omnino prohibemus.

IV.

Capellani victum & vestitum tantum habeant.

Alias vero oblationes, & omnia eleemosynarum genera, quoquo modo fiant, capellanis, vel aliis ad tempus manentibus, vnitati communis capituli reddere peruigili cura præcipimus. Seruitores itaque ecclesiæ victum & amictum secundum auctoritatem tantum habeant, & nihil amplius habere præsumant, nisi magistri sponte caritatiue dederint.

V.

De militibus defunctis qui sunt ad terminum.

Sunt namque milites in domo Dei, templique Salomonis ad terminum misericorditer nobiscum degentes; vnde ineffabili miseratione vos rogamus, deprecamur, & ad vltimum obnixe iubemus, vt si interim tremenda potestas ad vltimum diem aliquem perduxerit, diuino amore, ac fraterna pietate, septem dies sustentationis, pro anima eius, quidam pauper habeat.

VI.

Vt nullus frater remanens oblationem faciat.

Decreuimus, vt superius dictum est, quod nullus fratrum remanentium aliam oblationem agere præsumat: sed die noctuque mundo corde in sua professione maneat, vt sapientissimo prophetarum in hoc se æquipollere valeat: Calicem salutaris accipiam, & in morte mea mortem Domini imitabor: quia sicut Christus pro me animam suam posuit, ita & ego pro fratribus animam ponere sum paratus. Ecce competentem oblationem: ecce hostiam viuentem Deoque placentem.